



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXI. De Pignoribus & aliis Cautionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)



# TITULUS XXI.

## De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

### SUMMARIUM.

1. Quid & quotuplex sit Cautio.
2. Quid & quotuplex sit Pignus & Hypotheca.
3. Quinam oppignorare possint:
4. §. Et qua res oppignorari.
6. Quo modo constituatur Pignus, vel Hypotheca.
7. Quis sit effectus Pignoris, & Hypotheca.
8. Quid & quotuplex sit Actio Pignoratitia & Hypothecaria.
9. Quo tempore praescribatur actioni Pignoratitia.

**C**autio in genere est securitas, quæ alteri præstatur de solutione debiti, vel alia satisfactione. Si hæc securitas fiat sola promissione, vocatur *Simplex*: si promittatur sub juramento, *Juratoria*: si constituentur si-

Pars II.                      A                      de-



deiusores, *Fidejussoria*, vel *Satisfactio*, de qua in tit. seq. si denique detur pignus, *Pignoratitia* dicitur, de qua ultima in hoc titulo. *Fidejussoria* & *Pignoratitia* in Jure veniunt nomine *cautionis idonea*.

- 2 *Pignus* sumitur vel *objectivè* pro ipsa re, quæ datur vel obligatur alteri pro securitate: vel *formaliter* pro conventionem vel contractu ipso, quo constituitur pignus, seu res obligatur creditori, qui contractus dicitur esse *Juris Gentium* & *bonæ fidei*: vel *effectivè* pro jure reali, quod ex dicto contractu oritur creditori in re oppignorata. *Hypotheca* subin confunditur cum *Pignore*, licet pressè loquendo distinguantur; nam *Pignus* exigit actualem traditionem rei oppignoratæ: *Hypotheca* autem perficitur nuda conventionem, & res solum obligatur, *wird verschriben*/ creditori sine actuali traditionem rei, & possessionis translationem. *J. 7. Inst. de act.* Nihilominus tamen etiam per hypothecam acquiritur jus reale ex Jure Prætorio, à quo originem habet, sicut *Pignus* à Jure Civili regulatur. *Pignus*, uti & *Hypotheca* alia dicitur *Expressa*, quæ expresso contrahentium consensu constituitur: alia autem *Tacita*, quæ constituitur ex dispositionem Legis absque ullo alio partium pacto vel contractu: sic *Fiscus Principis* habet hypothecam tacitam in bonis subditorum in ordine ad tributa: *civitas* in bonis administratorum: *uxor* in bonis mariti pro affecuranda dote, & bonis paraphernis: *pupilli* & *minores* in bonis tutorum & curatorum: *venditor* in re vendita respectu emptoris, donec iste de pretio satisfecerit &c. Tam *Expressa* quàm *Tacita* vel est *Generalis*, qua vel omnia bo-



### De Pignoribus, & aliis Cautionibus. 3

bona, nullo excepto, creditori obligantur, consequenter etiam futura, uti & actiones ac jura (nisi quæ Jus specialiter excipit) censentur oppignorata; aut quoddam genus bonorum, v. g. omnium immobilium, omnium mobilium, totus grex ovium &c. vel est *Specialis*, quomodo aliqua res oppignoratur in specie, singularis, & determinata, v. g. hæc domus, hic scyphus aureus. In hypotheca generali afficiuntur etiam res singulæ, ita ut cum onere pignoris transeant ad quemcunque possessorem; at merces venales, & pecuniæ solum includuntur in genere, non in specie, ne scilicet turbetur commercium humanum, si tales merces vel pecuniæ distraherentur cum onere pignoris, seu jure reali creditoribus competente.

Dico 1. Oppignorare possunt omnes & soli, qui libera rerum administratione præditi alienare: pignus verò acciperè, qui contrahere & contrahendò obligari possunt. Pars 1. sumitur ex *l. 11. §. 18. ff. ult. ff. de Pignorat. act.* quia oppignorare est quoddam alienationis genus, & via ad illam. Pars 2. constat indè, quòd, qui pignus accipiunt, se obligent ad illud custodiendum.

Dico 2. Oppignorari possunt omnes & solæ res, quæ sunt in commercio humano, & alienari non prohibita, sive sint mobiles sive immobiles, corporales vel incorporales. Sumitur ex *l. 18. cit. & l. 9 §. 1. ff. h. t.* Unde oppignorari nequeunt res pupillares, litigiosæ, fundi dotales, res fideicommissò subjectæ, & feudales sine consensu domini directi, res alienæ sine consensu domini, & ita, ut jus reale transferatur in creditorem, quamvis ei oriatur jus ad rem,



& actio personalis : item res jam uni oppignorata, nisi secundus creditor moneatur, quòd res jam alteri sit obligata. *l. 1 §. ff. h. t.*

5 Quæres, an Prælatus validè oppignoret, vel hypothécet res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas, sine solennitatibus Juris? R. affirmativè, si constituat pignus vel hypothecam *generalem*: negativè, si *specialem*. Ita distinguit veterior sententia cum Abb. & Molin. contra Barb. id desumens ex *c. 5. de reb. Eccl. alien.* ubi Prælatus prohibetur res Ecclesiasticas obligare *titulo specialis hypothecæ*: ergo tacitè videtur Jus concedere hypothecam generalem, præsertim cum per hanc nihil novi damni in effectu imminet Ecclesiæ, eò quòd independentè ab omni hypotheca jam omnia Ecclesiæ bona obligentur ad solvenda debita creditori, & per hypothecam generalem Prælato necdum concedatur potestas alienandi rem Ecclesiæ determinatam, sed determinari primùm debeat cum consensu Capituli & Superioris; quæ determinatio tamen jam fieret per hypothecam specialem, sine consensu Superioris & Capituli constitutam.

*Objic. 1.* In *Extrav. Ambitiosa int. comm. eod.* prohibetur omnis alienatio rerum immobilium Ecclesiæ sine solennitatibus, & quidem in specie etiam *hypotheca* absque distinctione inter generalem & specialem. 2. Res immobiles pupilli & minoris nec per hypothecam generalem possunt obligari absque decreto Judicis. per *l. 7. §. 5. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 4. §. C. de præd. min.* Sed Ecclesia gaudet jure pupilli & minoris: ergo. R. ad 1. prohibetur quidem omnis alienatio,



## De Pignoribus, & aliis Cautionibus. 5

natio, ac hypotheca in specie, at non omnis, sed solum, quæ alibi in Jure non obscure fuit permiffa: sed in *d. c. 5.* haud obscure fuit permiffa hypotheca generalis: igitur, ut evitetur correctio & discrepantia Juris, *cit. Extrav.* intelligi debet de hypotheca speciali. Ad *2. trans. ma. dist. min.* Ecclesia gaudet jure pupilli &c. ubi Jus speciale quid non disponit. *C. Min.* ubi aliud disponit, sicut aliud disponit in *d. c. 5.* ubi videtur satis clarè permittere hypothecam generalem. *N. min.*

Dico 3. Pignus constituitur non solum per actualem traditionem, aut contractum, sed etiam per nudam conventionem. 2. Non tamen ipsi adjici potest pactum Legis commissoriae, quo id agitur, ut debitò intra certum tempus non solutò pignus committatur, seu amissum acquiratur creditori. 3. Neque pactum antichrèseos, quo id agitur, ut creditori liceat uti pignore, seu fructus pignoris percipere (saltem valorem communis & liciti interesse excedentes) donec solvatur debitum. Pars 1. sumitur ex *l. 1. ff. de pignorat. act. & l. 4. h. t.* Pars 2. ex *c. 7. h. t. & l. 1. C. de pactis pignorum.* Pars 3. ex *c. 4. & 6. h. t. c. 1. 2. 8. de usuris.* quia debitor manet dominus pignoris, consequenter ipsi fructificare debet.

*Objic. I.* de Jure Bavar. *tit. 15. art. 6.* ad constituendam hypothecam (licet non ad pignus) requiritur Scriptura. Et in aliis locis passim opus est Scripturâ, vel confirmatione Magistratûs, si res immobilis supponatur pignori. 2. Per pignus & hypothecam acquiritur jus in re: sed per conventionem & pactum nudum non acquiritur jus in re: ergo. 3. In *c. 1. de feudis. & c. 16. de Usur.*



permittitur domino directo, ut fructus percipiat ex re feudali sibi oppignorata, si servitia remittat vasallo. Item marito ex bonis sibi pro dote oppignoratis: ergo pactum Antichresticum non est prohibitum in pignore. *¶* ad 1. Id procedit, ubi Statutum speciale, aut consuetudo loci ita exigit, non de Jure Communi. Ad 2. In constitutione pignoris, etiam per nudam conventionem factâ, Jus Prætorium specialiter tribuit jus reale. Ad 3. Illi duo casus ex justa causa excipiuntur à communi regula.

7 Dico 4. Effectus pignoris (& hypothecæ) sunt jura & obligationes, atque actiones, quæ oriuntur creditori accipienti, & debitori pignus danti. Igitur creditor consequitur 1. jus in re, sibi oppignorata vel hypothecata, vi cujus illam actione reali persequi potest, ad quemcunque possessorem devenit, remediis tam petitoriis quàm possessoriis; quia talis res transit cum onere pignoris. *c. 5. h. t.* licet à debitore, etiam auctoritate Judicis, fuisset vendita. 2. jus retinendi pignus, donec solvatur debitum totum, & ex integro satisfiat. *l. 9. §. 3. ff. de Pign. act. l. 6. C. de distract. pign.* cum jus pignoris sit indivisum pro toto debito: quod ex æquitate etiam procedit propter aliud debitum, pro quo res illa obligata non fuit. *l. un. C. Etiam ob chirogr. pecun.* 3. Jus prælationis in concursu creditorum, pignus vel hypothecam non habentium, de quo ad *tit. de Solut.* 4. Jus distrahendi, seu vendendi pignus alteri, plus offerenti, ut ex pretio sibi satisfiat, & residuum restituatur debitori. *t. t. ff. & C. de distr. pign.* Si nempe conventum sit, ut debitò intra certum tempus non solutò liceat pignus

gnus



## De Pignoribus, & aliis Cautionibus. 7

gnus vendere: si verò non sit conventum de distra-  
ctione pignoris, debet prius moneri debitor, &  
post monitionem adhuc expectari per biennium.  
*l. fin. §. 1. C. de jure domini*: quod tamen bienni-  
um non observari ajunt, nisi in casu, quo creditor  
ipse vult emere. Si res fructifera sit data in pignus,  
à fortiori licebit creditori vendere fructus, com-  
putandos tamen in partem solutionis. Quid circa  
hoc de Jure Bavarico sit statutum, videre est *tit. 1 §.*  
*art. 17. & in Gandt-Process tit. 4. art. ult.* Idem  
creditor contrahit e contra obligationem I. rem  
oppignoratam exactâ diligentia custodiendi, ita ut  
teneatur præstare culpam etiam levem, si per hanc  
pignus perit, vel deterioratum est. *§. 4. Inst. quib.*  
*mod. re contrah. obl. 2.* Abstinendi ab usu pigno-  
ris, nisi expressè vel tacitè consentiat debitor: se-  
cus si facit, furtum committit. *§. 6. Inst. de obl.*  
*qua ex del. 3.* Restituendi pignus cum fructibus  
& meliorationibus, quamprimum fuerit debitum  
ex integro solutum. *§. 4. cit.* demere tamen po-  
test expensas in custodiendo vel meliorando pi-  
gnore factas.

Actio ex pignore resultans est duplex, *Pignora-*  
*titia & Hypothecaria.* Illa est *Civilis & Personalis,*  
oriturque ex pignore, quatenus est contractus:  
Ista autem *Prætoria & Realis,* oriturque ex pigno-  
re, quatenus producit jus in re. Illa datur & debi-  
tori ejusque hæredibus, atque vocatur *Pignora-*  
*tia directa,* ad repetendam à creditore rem oppi-  
gnoratam cum tota causa, nempe fructibus &c.  
post solutum vel aliàs extinctum debitum: & cre-  
ditori ejusque hæredibus, atque vocatur *Pignora-*  
*titia contraria,* ad præstandam sibi indemnitàtem,



8 LIB. III. TITULUS XXI.

& ad consequendum à debitore id, quod pignoris nomine sibi abest. *Hypothecaria* autem datur soli creditori ejúsque hæredibus, neque statim competit, sed primùm, quando debitor est in mora, & tum, si alius, quàm debitor, hypothecam possideat, non nisi excusso priùs debitore principali, qui dedit hypothecam vel pignus, de Jure Recentiori *Nov. 4. c. 1. l. 24. cum Auth. sub. C. h. t.* Hæc actio hypothecaria vel est *Serviana*, sic dicta à Servio Prætore, & datur locatori ad perseguendas res ab inquilino vel colono illatas in domum vel fundum locatum, tanquam oppignoratas pro securitate mercedis: Vel *quasi-Serviana*, quæ datur aliis creditoribus ad perseguendas res quascunque sibi oppignoratas: in ordine autem ad consequendam possessionem pignoris utrobique conceditur *Interdictum Salvianum*, vel *quasi*. Cæterùm tam Pignoratitia, quàm Hypothecaria actio est perpetua, & utrinque ad hæredes transitoria, donec nimirum solvatur pignus vel per debiti solutionem, remissionem, aut quamcunque satisfactionem, vel per præscriptionem. Sed hinc

Quæres, quantum temporis requiratur, ut per viam præscriptionis solvatur pignus, seu actio inde nata extinguatur? R. cum distinctione: si pignus vel hypothecam possidet debitor vel ejus hæres, requiruntur 40. anni. *l. 7. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Si possidet extraneus, cum titulo ipsi sufficiunt 10. anni inter præsentés, at sine titulo requiruntur 30. anni. *l. 7. cit. pr.* quod procedit, etiã pignus consistat in re mobili. Si autem possidet ipse creditor, probabiliùs etiã sufficiunt 30. anni ad præscribendum  
 actioni



## De Pignoribus, & aliis Cautionibus. 9

actioni pignoratitiæ directæ contra debitorem, intra hoc tempus reluere pignus negligentem, ut docet valde communis cum Imola contra Gail, Mynf. Rath, Pirhing. eò quòd juxta *l. 1. C. de ann. except. & l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* omnes actiones personales 30. annis extinguantur, & nullibi reperiat clarè excepta actio pignoratitia directæ.

*Objic. 1.* Non valenti agere non currit præscriptio. per *l. 7. §. 4. eod.* Sed debitor ante solutionem non potest agere ad reluendum vel repetendum pignus. *l. 9. §. 3. ff. de pign. act.* ergo.  
*2.* Actio nondum nata non potest extinguì per præscriptionem: sed actio pignoratitia directæ ante expunctum debitum non est nata. *l. 9. cit.* ergo.  
*3.* Creditor non possidet pignus nomine suo, sed debitoris nomine detinet: sed sine possessione non currit præscriptio: ergo nunquam præscribit pignus. *q. ad l. dist. ma.* non valenti agere propter impedimentum Juris *C. ma.* propter impedimentum facti, quia debitor v. g. non est solvendo, vel non vult solvere. *N. ma.* Ad *2. dist. min.* ante expunctum debitum actio nondum est nata quoad executionem *C. min.* nondum est nata in se. *N. min.* Ad *3. C. totum;* non enim dicimus, ipsum pignus præscribi, ut creditor fiat ejus dominus, sed actioni pignoratitiæ præscriptione privativa præscribi asserimus, ut cesset ex parte debitoris jus luendi pignus: per quod satis multum perdit; si enim posset agere actione pignoratitia, nihil aliud probare teneretur, quàm oppignorationem, illâ autem amissâ debet probare dominium pignoris, quod est difficilius. Ad præ-



scriptionem privativam actionis sufficit possessio negativa, consistens in hoc, quod omissa sit repetitio pignoris.

## TITULUS XXII.

### *De Fidejussoribus.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid sit Fidejussio, & Fidejussor.*
2. *Quinam fidejubere possint.*
3. *Super qua obligatione, vel debito.*
4. *Fidejussionis effectus.*
5. *Quæ remedia competant Fidejussoribus.*

**F**idejubere est fide interposita creditorem jubere securum esse de satisfactione. Unde Fidejussor, alio nomine *Intercessor*, *Bürg*/ dicitur esse, qui pro alieno debito fidem suam interponit, seu promittit, quod debitore principali non solvente (qui nihilominus manet obligatus) ipse velit solvere. Adeoque *Fidejussio* seu *Intercessio*, *Bürgschafft*/ est obligatio succedanea & accessoria, quam quis ad solvendum alienum debitum, si debitor principalis ob inopiam vel aliam causam non solvit, in se suscipit sive per stipulationem (nempe ad interrogationem unius & responsionem alterius, uti de Jure Civili Romano fieri deberet, & ideo fidejussio est contractus Juris Civilis, verbalis, unilateralis, & stricti Juris) sive per nudum pactum, scripto vel ore tenus, inter absentes vel presentes initum, uti habet recepta consuetudo,